

DE MORBIS ORIUNDIS AB EXCES-  
SU MOTUS CIRCULATORII  
SOLO.

92. **O**mnia fluida, quae in ullo vase, ab Arteria magna orto, continentur, ex solo sanguine sunt secreta, qui paulo ante in corde dextro & sinistro mistus erat, & referebat speciem unius liquidi.

93. Habet tamen & ibi, & tunc, globos majores, determinatae molis, figurae mutabilis, coloris rubri; sphaeras flavas, rubris sextuplo minores, serosas; tum laticem pellucidum in igne concretescentem; & aquam pellucidam, leviolem, tenuiorem, partibus minoribus, sed ob pelluciditatem non cernendis, constantem. Priorum congeries sanguis ruber, posterior Serum appellatur. Microscopia utrumque demonstrant.

94. Rubrum concretum, & a sero seorsum collectum, sola quiete, & laxitate suarum partium cito resolvitur in serum, ita, ut in id omnis fere cruor abeat.

95. Serum diu retentum in aere moderate calido & humido sola quiete & laxitate partium resolvitur in tenuius, pellucidius, levius liquidum, quod putrescit

B § sen.

fenfim, totumque fere avolat volatile,  
Quae crescunt pro ratione temporis.

96. Sanguis omnis (92.) recens, levi calore, parum superante salubrem, & cum pauco exhalantis dispendio, coit in massam solidam, scissilem, tenacem, non solubilem per aquam, salem, oleum, spiritus. Atque idem fit calore per humida conciliato, singulari concretionis, & simili prioris, genere.

97. Origo rubedinis (93. 94.), seri concrefcentis, lymphae concrefcentis, (95. 96.) debetur vasorum actioni, circulationis efficaciae; ut chyli, lactis, cruoris, & sanguinis, mutata indoles docet, atque microscopia confirmant.

98. Auctus sanguinis per vasa motus oritur Corde saepius, & fortius, contracto.

99. Cor saepius & fortius contrahitur:  
1. Cerebro & cerebello in nimiam expressionem liquidi nervosi agente, ut in affectibus animi, & dolore: 2. irritato Corde per accelerationem motus sanguinis venosi, frictione, vel musculis agentibus, pulsi; aut per acre sanguini inhaerens aromaticum, salinum, acidum, alcalinum, purulentum, ichorosum, putrefactum, & quandoque specie contagii, pestis, veneni, nondum definiendum mali genus.

100. Auctus motus sanguinis per vasa efficit majorem vim pulsi sanguinis in vasa excipientia; majorem renixum vasorum in sanguinem; sanguinis fortem compressionem; vasorum sanguinisque attritum validum ad se mutuo; partium Sanguinis attritum validum inter se; calorem majorem totius; sanguinis exsiccationem diffusato aquoso; ejusdem viscositatem inflammatoriam facile concrecentem; sanguinis resolutionem in sales, oleaque volatilia & acria; valorum auctam ad initia amplitudinem; liquidorum crassiores in tenuiora vasa impulsus, horum obstructions destructionesque, inflammationes, supurationes, gangraenas, sphacelos, scirrhus; & quae ex his infinita sequi possunt.

101. Cognoscitur ergo aucta circulatio notis ejus causis (99.), & effectis (100); sed inprimis pulsu celeri, duroque; respiratione veloce & laboriosa; calore ingenti.

102. Remedia ergo nimio motui compescendo valida sunt, quae frequentiam, & vim contractionis Cordis imminunt.

103. Quorum illa Mentem, haec Corpus, spectant.

104. Priora sunt, quae magnos affectus. ratiocinio, excitamento contrarii affectus, vel divertendo, sopiunt.

105. Posteriora agunt quiete musculorum, laxatione venarum (54.), mirificatione acris cujuscunque, diluendo, vel obtundendo (66.67.88.), doloris causas tollendo.

DE MORBIS, EX DEFECTU  
CIRCULATIONIS, ET  
PLETHORA.

106. Defectu motus circulatorii morbi fiunt in humoribus illi, qui proxime accedunt ad hos, qui quiescentibus spontanei nascuntur. Modo bene consideretur aer, qui admissus corruptiones spontaneas accelerat, quae aliter, eo secluso, lentiores. (58. ad 80.) adeoque intellectus, & curatio horum inde peti debet. Atque ex his omnibus plethorae indoles, causa, effectus, signa, remedia intelliguntur, si ad sequentia animus advertitur.

α. Plethora est copia boni sanguinis major, quam quae ferre possit eas mutationes, quae vitae inevitabiles accidunt, nisi inducantur morbi.

β. Hanc generat omnis causa, quae multum laudabilis Chyli, & Sanguinis conficit, simulque horum attenuatio-

nem,